

busdam denique locis, quo de scriptura certior fierem,  
et ipse codicem inspexi.

Cum coniecturarum libertas ab instituto huius  
editionis abhorreret, parce et non nisi necessitate  
quadam coactus emendationes in ipsum textum admisi.  
Interpunctionem liberius immutavi, partim meo Marte  
partim auctore Susemihlio, qui veram verborum distinc-  
tionem reperire saepius occupavit. Cuius quoniam  
mentio facta est, grato animo fateor non solum in  
hac parte sed etiam in universo labore tanto mihi usui  
fuisse Susemihlii editionem, ut vix dici possit quantum  
copiis ab eo collectis debuerim.

Iuvat eos quoque honoris causa nominare qui ad  
plagulas perlegendas tam sedulam operam contulerunt,  
I. M. Schulhof et I. Burnet; et hunc quidem in duobus  
locis (1099<sup>b</sup> 23, 1144<sup>a</sup> 26) in eandem mecum incidisse  
emendationem laetus intellexi. Sed est cui prae omni-  
bus grates agam atque habeam, virum dico si quis  
alius Ἀριστοτελικότατον, I. C. Wilson: quem ut socium  
mihi in hac editione paranda futurum speraveram, ita  
postquam instantiora eum negotia alio averterant, alienum  
opus adiuvare et, quantum potuit, amico suppetiari  
non recusavit; haud exiguum enim libri partem una  
relegimus, crebrisque colloquiis collato studio diffi-  
cillima quaeque excussimus.

### I. BYWATER.

*Scribebam Londini mense Julio a. 1890.*